



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dei Immortalis In Corpore Mortali Patientis Historia

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1694

Caput V. Christus in Prætorio Pilati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49178](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49178)

CAPUT V.

Christus in prætorio Pilati.

§. I.

Accusatur coram Pilato.

JAM in domo Caiphæ nox præcesserat Christo molestissima, dies autem appropinquabat nobis felicissima, *dies salutis*, utpote quâ mortuus est Salvator; dies plena ingentium prodigiorum, dies fatalis Christo, sed natalis mundo: *dies tenebrarum, & caliginis*; quia tunc impletum est illud celebre vaticinium Joelis; *Sol convertetur in tenebras*; & tamen ne tunc quidem, illo die appropinquante Judæi abjiciebant opera tenebrarum, erant enim ex illis, de quibus Judas Apostolus scribit, *quibus procella tenebrarum servata est in æternum*. Quare cælo adhuc albescente, aurorâ vix lucente, vel, ut ait Marcus, *Confestim mane consilium facientes summi Sacerdotes, cum Senioribus & Scribis, & universo concilio vincientes JESUM, duxerunt, & traderant Pilato.*

Nunquam ab hominum memoria, ullum Concilium, ullum prætorium, ulla curia, ulla basilica, tam celebris fuit hominum accurrentium consessu, quam illo die, Prætorium Pilati. Illuc enim confluerunt viri totius urbis, auctoritate, scientiâ, prudentiâ, consilio, sapientia præstantissimi, ac selectissimi, summi Sacerdotes, Scribæ, Seniores populi, hoc est Sapientiæ oracula, Scientiæ miracula. Eodem conveniebant plusquam duodecim legiones Angelorum, omnes Angeli pacis, ut egressi foras, id est, è cælo, cum Petro amare flerent. Conveniebant eodem, fractis inferorum

M

repa-

1. Cor. 6.

2.

Joel. 2. 2.

Joel. 2. 31

Iud. epist.

II. 19.

Marc. 15.

Io

repagulis Principes tenebrarum, ut Principes Sacerdotum stimulantur ad invidiam, Pilatum ad injustitiam, carnifices ad crudelitatem. Aderat in medio illorum, qui medius est inter Patrem, & Spiritum S. Filius Dei, paulò post futurus vix filius hominis; quia *vermis & non homo*; vel si homo, *opprobrium hominum*. Hic omnium, & hominum, & demonum, & Angelorum oculi converfi erant in prætorium Pilati. Ingens erat cœlorum, terrarum inferorum expectatio, de hoc Concilio, in eoque consiliorum eventu. Facto jam in Concilio alto silentio, omnibus aures arrigentibus, & animum ad dicenda attendentibus, Seniores populi, hoc est, ministri selectiores diaboli, *exacuerunt ut gladium linguas suas*. O Christe! hic opus erit, vel magna, qua te defendas eloquentia, vel maxima, qua sustineas patientiâ. Nunc enim implebitur illud, quod tu ipse Davidi olim dictasti de te vaticinium: *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens*. Et illud *Os peccatoris, & os dolosi super me aperit*. *Locuti sunt adversum me lingua dolosa, & sermonibus adij circumdederunt me*. Audiamus modò quid dixerit tibi os peccatoris, hoc est, os omnium nostrum. Primus insigni majestate confurgens tanquam tertius è cælo Cato veluti oracula è tripode effusus, sic orsus ab alto est: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram*. Quid ad hæc Christus? *Jesus autem nihil respondit*. Quid? potest. nè hic silere? Nonne scis, quia, *non est in ore eius veritas*? Nolle propugnare veritatem, est approbare mendacium. Non possum hic imperare mihi ut fileam: quare respondebo ego, & convincam. *quia maledictione os ejus plenum est, & amaritudine, & dolo*. Quid ais, subvertit gentem nostram? *Rectè mentitus es in caput tuum non gentem vestram sub-*

Ps. 21. 7.

Ps. 63. 4.

Ps. 142. 14

Ps. 148. 1

Ps. 5. 10.

Ps. 9. 7.

Dan. 13. 55.

vertit; sed gentis vestrae inimicos evertit, dū Pharaonem cum exercitu suo submersit in mari, dum duxit vos per mare rubrum, dum induxit vos in terram lacte & melle fluentem. Hoccine est gentem subvertere? Surgit mox alter: *Hunc invenimus prohibentem tributa dare Caesari. Rectè mentitus es & tu in caput tuum.* Dixit enim disertis verbis: *Reddite quae sunt, Caesari, Caesari.* Iubere tributa reddi, estne prohibere tributa dari? Vix secundus siluit, cum tertius os aperuit: *Invenimus hunc dicentem, se Christum regem esse.* O genimen viperarum! non es mentitus homini, sed Deo. Quin potius, cum cognovisset quod venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum regem, ipse fugit solus in montem. Sed quid ego Christum defendo? Non defensoribus istis Christus eget. Itaq; ad nos convertatur oratio; nec enim hic deerit accusatio. Non soli Judæi, sed & Christiani Christum accusant in multis. dū in obscuro fornice, in tenebricolo angulo, impunè vacant libidini, accusant perspicacissimam ejus intelligentiã cæcitatibus, & dicunt cum illis Susanneis nebulonibus: *Ostia pomarij clausa sunt, nemo nos videt.* Quid hoc est, nisi Deus cæcus est? Clausa est porta domus, clausa janua cubiculi, sol occidit, extincta lucerna est, densi in conclavi parietes, oppansa in lecto cortina, nullus arbiter, aut testis; eja, audeamus, impunè peccabimus; quia nemo nos videt. Accusant ejus providentiam injuriæ, dum status Reip. turbatur, dum justus patitur, innocens cõdemnatur, Hæretici dominantur, jactantq; cum illis Politicis apud Job: *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines caeli perambulat.* Accusant ejus sapientiam ignorantia, dum personata, fictaq; pietate, tegunt impietatem, ac subdola vafritie, & ingeniosa nequitiã deprimunt Innocentiam,

Matt. 22.

2.

Act. 5. 4

Joan. 6. 15

Accusant

varii de

variis

Christū.

Dan. 13.

20.

Job. 22. 14

Ps. 72. II.

Ecc. 5. 4.

Christi
in nos
amor.

1. Ioan.

2. 1.

centiam, evertunt Justitiam, affligunt Pietatem, dicentes, cum impiis illis apud Psalmographum: *Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelsis?* Accusant ejus Justitiam iniquitatis, dum imperterriti accumulunt scelera sceleribus, quasi parcat, ubi plectere oporteret, & dicunt cum perversis illis: *Peccavi. & quid mihi accidit triste?* Haecenus audivimus fictas accusationes, & falsa contra te, non Judaeorum tantum, sed & Christianorum testimonia. Unum adhuc superest, in quo te accusem: quod charitate nimia dilexeris me; Sciebas me tibi post tantum amorem mihi exhibitum, fore perduellem; post tot beneficia in me collata, ingratum, post tot supplicia pro me tolerata, impium, post tot favores in me congestos, perfidum; & tu diligebas me. Est charitas nimia. Sciebas me texere, quibus te ligarem, funes: colligere, quibus te flagellarem, virgas: parare, quibus te coronarem, spinas; cudere, quibus te perforarem, clavos: fabricare, cui te affigerem Crucem, & diligebas me. Vere charitate nimia dilexisti me. At ego innumerabiliu scelerum reus, quo fugiam? quem mihi adsciscam, qui pro me loquatur, patronum: quem mihi adoptabo, qui causam meam defendat advocatum? audio vocem plenam Iohannis pro reis, & ni fallor, est vox dilecti; quia est vox discipuli, quem diligebat JESUS, *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, IESUM Christum justum.* Ego ergo, tot criminum reus, filius irae, haeres gehennae, exul caeli, ab hostibus accusatus, a Patre tuo condemnatus, ab omnibus desertus, accedo ad te, reorum omnium Advocate, Ah! non pudebit coram te dicere, quod non puduit contra te facere. Peccavi in caelum, & coram te; imò in te. Desperarem, si vel alium quam te offendissem, vel aliū pro me prater

præter te haberem Advocatum apud Patrem. Accedo ergo te cum fiducia, superbus ad humilem, iracundus ad mitem, crudelis ad clementē, cæcus ad lucem, sitiens ad fontem, esuriens ad panem, infirmus ad Medicum, impius ad Pietatem, miser ad misericordiam, mortuus ad Vitam. Omnia me accusant de crimine pessimo. cælum, terra, Angeli, homines, dæmones, tempus, locus, singula corporis mei membra; hæc omnia me accusant in multis. Vide ô Advocate an possis causam meam sic agere, ut non peream. Scio, salvare potes, es Deus: salvare debes, es Jesus. Sic ergo agas causam meam apud Patrem, ut aliquando ostendas nobis Patrem, & sufficit nobis.

§. II.

Pilatus Christum à Judæis accusatum excusat.

Fuerat Christus jam damnatus à Judæis in domo Pontificis, voluit & damnari à Gentilibus in domo Præsidis, ut qui venerat pro omnibus offerre vitam, ab omnibus damnaretur ad mortem, reperit tamē mitius sibi tribunal profanū, quàm sacrum, humaniorem erga se judicem Gentilem, quàm Iudæum. quod pronum erit conjicere, si utriusq; voces expendas. Vox Gentilis est: *Quid mali fecit?* Vox Iudæi est: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissimus eum.* Vox Gentilis est: *Nihil invenimus causa in hoc homine.* Vox Iudæi est: *Commovent populum docens per universam Iudæam.* Vox Gentilis est: *Nullam causam mortis invenio in eo.* Vox Iudæi est: *Debet mori.* His nequaquam territus Pilatus, non præcipitat iudicium: statum totius causæ accuratè discutit; rem omnem per viam Iuris, & Iustitiæ terminos vult decidi. Quærit, interrogat,

Judæi iniquiores in Christū quàm gentiles
Marc.
 15. 14.
 10. 18. 3.
LUC. 23. 4
 10. 11. 5.
 10. 11.
 23.
 10. 10. 74

rem examinat, considerat accusationes, expendit testimonia, discutit omnia Et ecce, reperit in accusatoribus invidiam, in testimoniis versutiam, in omnibus nequitiam, in solo reo innocentiam. Circumspicit Pilatus, ubi sit Christi advocatus, qui ipsius causam defendat; nullus comparet. Expectat ut videat quid pro se dicturus sit reus silet. Hæret Pilatus ingenti stupore attonitus, perstrictus partim fulgore tantæ majestatis, qui in vultu micabat, partim singulari modestiâ, qualem nunquam aliàs in ullo reo observaverat. Ut ergo vidit omnes contra Christum, nullum pro Christo, tunc dicit illi Pilatus: *Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? quid ergo non respondes? quid siles? cur nihil pro tua causa adfers? cur argumenta non refellis? dic saltem aliquid in speciem. Ipse ego causæ tuæ favebo: experieris me magis patronum, quam Judicem. Jesus autem non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer. Hoc enim verò silentium ingens complectitur mysterium. Agitur hic de Christi honore, fama, fortunis, vita: & silet. Reprehendebatur paulò ante Magdalena à Juda, & loquebatur pro ejus causa, illamq; propugnabat, conveniebat illum Samaritana mulier, & multis cum illa fermocinatus est. Accusabatur mulier inventa in adulterio, & tam disertè ejus causam egit, ut unus post unum exiret. Jâ qui pro aliorum causa tam fuit facundus, pro sua est mutus. Libenter offerrem, ô Christe, tibi officium linguæ meæ: sed cogor fateri cum Moyle: *Non sum eloquens, & impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Nihil magis opto, quam in hoc Concilio pro tua causa loqui. Sed quid dicam, nisi cum Jeremia: *A, 4, 4, Domine, ecce nescio loqui, quia puer ego sum; Convertertam**

Matt. 27.
13.

Ier. 1. 6.

tum me ad auditores. Hic adsunt Causidici, Advoca-
 tati, Iurisperiti, qui norunt innocentium causas
 discutere, dirimere, defendere. Ecce quem unum
 habemus Advocatum apud Patrem, ab impiis ac-
 cusatur ut nocens, condemnandus ut reus, nisi
 quis pro ipso loquatur. Pater, qui quondam dixit:
Hic est filius meus dilectus, silet. Spiritus sanctus, qui
scientiam habet vocis, tacet. Cœli, qui tamen *enarrant*
gloriam Dei silent. Angelis loqui non permittitur.
 Mater abest: Apostoli fugerunt; amici hic nulli
 comparent. Nullus in cœlo, in terra, in toto uni-
 verso est, qui pro Christo loquatur, qui pro Verbo
 Patris verbum efferat. Ipsemet qui *ex ore Altissimi*
prodivit, est sicut mutus non aperiens os suum. Sic ju-
 stus perit, & nemo recogitat, nemo loquitur. Ubi
 es Causidice, qui in foro tanta vocis contentione
 ad ravim usq; declamas? Quid hic files Advocate,
 qui soles etiam iniquas causas tantâ eloquentiâ
 tueri, ut iniquitas videatur æquitas? Quin jam lo-
 queris Iurisperite, qui in promptu habes omnes
 regulas Iuris; qui nosti omnes Canones, & Pan-
 dectas? Fac modo pro Innocentia, quod soles fa-
 cere pro pecunia. Hic habet suum patronum, qui
 in causa, etiam iniqua, loquatur, sordidum scor-
 tum, impudicus leno, impius parricida, publicus
 latro; & auctor Vitæ Filius Dei, IESUS solus non
 habet qui pro illo loquatur? Reperi, reperi, qui
 pro Christo loquatur, oratorem, quovis Tullio
 facundiozem, qui Iudæos confundet, & arguet
 injustitiæ, qui illorum refellet argumenta. Quis
 est hic, & adducemus eum ad Pilati prætorium?
 nescio quis sit, sed adducam illum coloribus pro-
 priissimis expressum à Davide. *Circumdederunt me*
vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt
super me os suum. Locuti sunt adversum me lingua do-

Matt. 12

18.

Sap. I. 7.

Ps. 18. 1.

Eccl. 24. 5

Ps. 37. 13.

Ps. 21. 13.

Ps. 18. 1.

G 46.

Silere ad
convitia
est Chri-
stum ac-
cusatum
defen-
dere.

Pf. 38. 14

Prov. 18.

21.

I. Cor. 14

12.

I. Pet. 3. 9

Pf. 140. 3.

Pfal. 34.

28.

Pf. 88. 2.

losa, & sermonibus odij circumdederunt me. Inimici mei dixerunt mala mihi. En hominem undiq; dilaceratum maledictis, convitiis, contumeliis. Sed quid respondit ad tot convitia? quid opposuit pro sui defensione; quibus verbis causam suam defendit? Audite. *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutionem.* En oratorem, en Christi patronum. Nullius eget eloquentia pro sui defensione, Innocentia, Christi causa defenditur silentio, non eloquio. Qui audit maledicta mutus, non redarguens, non obloquens, ille est eloquens. Hoc est pro Christo disertissimè perorare; dum impeteris convitiis, propter Christum silere. Hoc silentium majori excipitur plausu à toto cœli amphitheatro, quam olim omnes vel declamationes Quintiliani in foro, vel orationes Tullii in rostris, vel Argumenta Aristotelis in Lyceo. Hoc silentium attentam reddit universam cœlestem curiam. *Mors & vita in manibus linguæ,* ait Sapiens: *Si maledicimur, & benedicimus; si blasphemamur, & obsecramus; lingua nobis est vita. Si reddamus malum pro malo, maledictum pro maledicto, lingua nobis est mors.* Ut hæc lingua mihi sit vita, *pone, Domine. custodiam ori meo, ut non delinquam in lingua mea.* Ostendam mundo, me non diligere te verbo, neq; linguâ, silendo ad opprobria, non loquendo nisi Dei magnalia *Hic in exilio lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam, postea, uti spero, in Patria, Misericordias tuas in æternum cantabo.*

§. III.

Pilatus Christum de varijs interrogat.

Pilatus, auditis tot cōtra Christum criminatio-
nibus, ac deinde Judæorum vociferantiū tu-
multibus,

multibus, placuit clam cum ipso reo, abscondito oculis eius Deo, tuis conferre. Illum ergo solum sine arbitris ad se intrò accersivit, binisq; de rebus summi momenti sciscitatus est. Primum: Tu es Rex Iudaeorum? Respondit Jesus: A temetipso hoc dicis? an alij dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudaeus sum? Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi, Quid fecisti? Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo.

10. 18. 39

Væ ergo mundo, si tu non es Rex mundi. Væ isti regno, cujus non idem est rex, qui est Rex regum, id est, Jesus. Valeat mundus, si regnum Christi non est de hoc mundo. Quid mirum si regnum eius non sit de hoc mundo? quia cum in mundum venit, mundus eum non cognovit. Regnum de hoc mundo, si spectes locum, non est nisi punctum. Quid angustius? si spectes tempus, non est nisi momentum. Quid contractius? At Regnum Christi, est Regnum omnium seculorum. Hoc ergo Christi responsum fuit Veritatis pronuntiatum: Regnum meum non est de hoc mundo. Alterum quod à Christo quæsitum fuit Pilatus, fuit illud, Quid fecisti? O Pilate! magni, imò maximi ponderis est ista tua interrogatio, quam duabus oculis perstrinxisti, dicens: Quid fecisti? Posses tibi brevissimo verborum compendio exponere quid Jesus fecerit, dicendo: Omnia per ipsum facta sunt. Sed malo singularia quædam adferre, ut singularem eius in nos percipias amorem. Tu petis à Jesu: Quid fecisti? Ipse tibi id nunquam exponet, vetat hoc eius modestia; ego illius agam interpretem: hic enim tempus est loquendi. Audi igitur quid fecerit. In principio creavit cælum & terram. Formavit hominem de limo terra, & inspiravit in eum spiraculum vitæ. Omnia quacunque voluit, fecit in cælo & in terra.

regnum
Christi
est æter-
num,
mundi
momē-
taneum,
Ioan. 1.

Ps. 114. 13

Ioan. 1. 3.

Gen. 1. 1.

Gen. 2. 6.

Ps. 13. 46

Ioan. 21.

24.

Ratio
factorū
redden-
da in ju-
dicio
terribi-
lis.

Matt. 5.

Matt. 5.

Luc. 6. 24

1. Pet. 2.

22.

Isa. 7. 15.

Evolve librum Genesis & illic abundè intelliges mirabilia quæ fecit. Denique sunt tam multa quæ fecit JESUS, ut si scribantur per singula, nec ipsam arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros. Tu quidem Pilate petis à Christo, tanquam Judex à reo, *Quid fecisti?* Sed erit aliquando tempus, quando ipse sedebit à dextris virtutis Dei, & à te reo gehennæ ignis, petet: Pilate, quid fecisti? Tunc non dices: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius;* sed dices cum Juda: *Peccavi, tradens sanguinem iustum.* Sed quid ego hic Pilatum adduco in exemplum cum & mihi ejusdem sceleris reo aliquando dicitur: *Quid fecisti?* Nullum est fulmen quod ita perstringat oculos, nulla vox tam terribilis, quæ ita percellat mentes; nullum tonitru, quod ita feriat aures, ac verba illa, & animum percellant, ac corpus concutiant, à Judice prolata coram suo tribunali: *Quid fecisti?* Quisq; hic obiter singula totius ante actæ vitæ scelera percurrat, & inveniet se fecisse ferè ea omnia, quæ Deus eum facere prohibuit. Christus præcipit: *Diligite inimicos vestros;* Ego odio habeo inimicum. Clamat Christus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Tonat, fulminat contra divites: *Vae vobis divitibus, quia habetis hic consolationem vestram.* Paupertatem à Christo commendatam detestor, divitias à Christo damnatas consector. Quod Christus prohibet fieri, facis, & judicas faciendum, & approbas factum. Peccatoris, non ut ejus, qui peccatum non fecit, scit reprobare malum, & eligere bonum, sed hæc una est scientia, reprobare optima, eligere pessima. Nihil utilius animæ, humilitate; nihil inutilius superbiâ: illam reprobat, hanc eligit. Quid hoc est, quam Christum arguere, vel ignorantia, qui nescivit quid esset eligendum.

dum; vel impudentiæ, qui cum sciret quid esset eligendum, non rectè elegit, vel reprobavit; Hæc peccatoris est in mente cæcitas: sed non minor est ejus in voluntate perversitas. Quid amas peccator? Quid quid non est Deus? Amas Patrem, quia te genuit: Magistrum, quia te docuit, Medicum, quia morbum repulit: Chirurghum, quia vulnus obduxit: amas equum, quia tibi commodus, canem, quia fidelis: quodvis jumentum, quia utile: amas vestes tuas, quia te operiunt: ignem, quia calefacit: solem, quia illuminat; panem, quia nutrit: & solum ab amore tuo excipis Jesum? Non amas Jesum, amorem Patris? Quidquid est amabile, per amantissimum Jesum est amabile. Si ab illo petas quod Pilatus: *Quid fecisti?* Audies respondentem: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Si ergo non debuit, nec potuit ultra facere, illene solus, cui soli omnia debes, corde tuo excludetur? Jesum non amas præ omnibus, qui tibi est omnia? Cur non amas præ omnibus, qui non tantum propter te fecit omnia, sed est tibi omnia? Crimen est inimicos non dilexisse: quale crimen erit Christum amicorum maximum non dilexisse? quanti odio habuisse? quid dicam injuria affecisse? Diligit Ethnicus diligentem se, & non diliget Catholicus morientem pro se? Amat Gentilis benefactorem, & non amabit Christianus Redemptorem? Interim mi Jesu, cum fieri nequeat ut tantum amem te, quantum mereris amari à me, gaudeo Bonitatem tuam esse tantam, ut non possit satis pro merito diligi. Gaudeo, quod tu solus sis, qui te possis satis, ut mereris, amare. Saltem hoc per illum, qui pro me mortuus es, amorem tibi supplico, ut cum non possim tantum te

Amam^{us}
omnia
præter
Christū.

Isa. 5. 4.

Lib. de
Vir.

te amare, quantum debeam, tantum amem quantum valeam.

§. IV.

Proponuntur populo Christus & Barrabas.

Quid, & quantum possit contra Innocentiam Invidia, fulta timidi Judicis nequitia, hodie patebit Judæorum, Barrabam præ Christo eligentium, malevolentia, Pilatus, homo quidem malus sed non omnino pessimus, Judex timidior quam æquior, satagebat Christum, quem sciebat per invidiam traditum, donare libertate; sic tamen ut ipse non excideret sua dignitate. Itaque quod unum videbat præsidium sibi relictum ad Christum liberandum, eo uti placuit: illud autem erat solennis apud Judæos consuetudo, die Paschatis, dimittendi unum vinctum. Sic enim Matthæus: *Per diem autem solennem consueverat Præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barrabas. Congregatis ergo illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barrabam, an IESUM?*

Cap. 27.
16.

barrabæ
effigies
graphice
expressa.

Quæso vos qui hæc auditis, suspendite tantisper vestra iudicia, nolite adhuc dare suffragia, retinete paululum calculos vestros, seu ille sit ater, seu candidus, donec utriusque, qui hic omnibus proponitur, conditionem probe omnes intelligatis, ut hac intellecta, tum demum possitis prudenter reprobare malum, & eligere bonum. Præcedet ordine, quem Pilatus præposuit nomine Barrabas Barabbæ lineamenta atris coloribus adumbrarunt, & graphice expresserunt Evangelistæ. Hic, teste Marco, in seditione fecerat homicidium; teste Joanne erat latro; teste Matthæo, erat insignis latro. Erat ergo Barabbas homo insigniter barba

barbarus, atrociter sævus, gnaviter sceleratus, ferociter perniciosus; omnium qui in Judæa vivebant, longè teterrimus; cujus vel nomen quisque cum audiret, abominabatur; qui propter scelera erat conjectus in vincula, propter homicidia erat invisus omnibus; propter latrocinia reus mortis; nulla re dignior quàm agi in furcam, & pendere è cruce. In urbe fuerat homicida, in ædibus fur, imò trifur, in viis prædo, in semitis grassator, in silvis latro, ubiq; nequam. Erat pestis patriæ, fax Jerosolymæ, turbo Judææ, in signe odium omnium Judæorum. Fingi prope nullum maleficio potest, quo se non contaminaverat. Denique omnes eum execrabantur, præter illos qui ei sceleribus erant simillimi. Et quis poterat illi monstro esse similis? Illum ergo è nebulonum grege maximè egregium, è carcere eduxit Pilatus, & in conspectum omnium produxit, nullus dubitans, qui ubi hominem vel aspexissent, diris omnibus devovendum ab omnibus. Hic est ille qui comparatur cum eo, qui *melior est cunctis pretiosissimus; cui omne desiderabile non potest comparari*, id est, cum JESU. Si quid in mundo est pretiosum, ideo est, quia JESUS illud condidit; si quid est pulchrum, ideò est, quia JESUS illud ornavit; si quid amabile, ideo est, quia IESUS illud dilexit; si quid suave, ideò est, quia IESUS illud tetigit. Cur adeò omnibus optabile est cælum? quia IESUS illic in gloria regnat. Cur adeò speciosa est terra? quia IESUS illam pedibus calcatur. Cur adeò saluber est aer? ideò quia IESUS inde respirat. Si quis in hac vita est felix, ideò est, quia IESUM amat; si quis securus, propterea est, quia in IESU sperat; si quis nobilis, ideò est, quia IESU obtemperat, si quis lætus, ideò est, quia IESUM desiderat: si quis sapiens,

Prov. 8.

II.

A Christo bona omnia.

ens, ideo est, quia IESUM audit : si quis castus ,
 ideo est quia de IESU cogitat. IESU servire sum-
 ma est dignitas, sequi securitas, confidere tran-
 quillitas, osculari castitas, frui felicitas. Pro Ie-
 su certare, est victoria; pati, gloria; mori, salus Sa-
 titine capitis, quis, qualis, quantus est Iesus? Nihil
 dixi de Iesu, si conferatis cum dicendis. Plura ac-
 cipite. Congrega hic omnes, qui post homines
 natos fuerunt, sunt modo, erunt olim, nobilissi-
 mos terrarum Dominos, Proceres, Principes,
 Reges, Cæsares, Monarchas; appone omnem eo-
 rum potentiam, opulentiam, opes, thesauros, vi-
 res, gloriam, honorem: adde omnia omnium ter-
 rarum regna, insulas, provincias, urbes : adijce
 omnium hominum dotes, quibus illos exorna-
 vit seu Natura, seu Gratia? Sapienciam Salomo-
 nis, robur Samsonis, pulchritudinem Absalo-
 nis, scientiam Aristotelis, eloquentiam Tullii.
 Pone omnes omnium sæculorum homines, &
 ipsos novem Angelorum Choros. Plus dico: ad-
 jice omnes creaturas, quas Potentia immensa
 valet producere, cum bonis omnibus, quæ sunt
 vel in cœlo, vel in terra: Deus immortalis! qua-
 lis hic erit cumulus ! Tamen hæc omnia in
 unum acervum conflata, scitis quid sint cum Iesu
 collata? Respondeat Isaias: *Quasi non sint, sic sunt
 coram eo, & quasi nihilum & inane reputata sunt ei.*
 Plus est unus pilus in capite Christi, quam bona
 omnia quæ cælorum, terrarumq; complexu con-
 tinentur. Iam verò talem, qualem jam expressi,
 Christum esse, asserunt Patriarchæ, confirmant
 Prophetæ, scribunt Evangelistæ, prædicant Apo-
 stoli, docet Fides, annuntiat tota Ecclesia. Et ta-
 men hic tantus cum Barabba comparatur, id est,
 cum homine omnium hominum sceleratorum

Isa. 40.
 17.

scle-

sceleratissimo. explorata nunc omnibus est, utriusque Barabbæ, & Iesu conditio. Quem jam vultis, Barabbam, an Iesum? Est, inquires, extrema insania hoc petere. Si insania est hoc petere, quanta malitia est hoc facere? & quis nostrum illam insaniam hodieq; non insanivit? Quis illam malitiam non exercuit? Offeratur vini generosi haustus: illi postponitur Iesus. Promittatur vilissimus nummus: iam pro illo contemnitur Deus. Objiciatur alicui summum malum, repudiatur summum Bonum. nunquam crimen aliquod patras, quin Iesum Barabbæ postponas. O quantus ille pro Christo dolor, quantus pro me pudor! Ego minimis rebus postposui te Dominum cæli, tu maximis præposuisti me vermiculum terræ. Nulli sunt dignitate majores quam *Spiritus tui administratorij*, Angeli, & inter illos Cherubini, ac Seraphini; tu illis omnibus me præposuisti, dum mei causâ de cælo descendisti, & factus es non Angelus, sed homo. Inter homines non surrexit major Matre tua, quæ fuit gratia plena; præposuisti me Matri tuæ, quam voluisti affligi usque ad mortem, ut mihi conferres vitam. Rursus, inter homines, innumeri sunt Ethnici, Barbari, Turcæ, Judæi, Hæretici, Schismatici, & inter eos tot potentes, nobiles, divites, prudentes, tot Satrapæ, Dynastæ, Principes, Reges: his omnibus me unum prætulisti, dum illis in caligine errorum relictis, *de tenebris* vocasti me in *admirabile lumen tuum*: lactasti me uberibus sponsæ tuæ Ecclesiæ. Præposuisti me tuo sanguini, quia illum pro me effudisti: tuo corpori, quia illum pro me siviisti mori: tuæ Animæ, quia illa propter me fuit tristis usq; ad mortem: tuo spiritui, quia illum pro me tradidisti Patri. Prætulisti ergo me cælo, terræ, infinitis homi-

Christi
omni-
bus
postpo-
nimus,
christus
nos om-
nibus
præpo-
suit.

Hebr. 1.
14.

Pet. 2. 9.

hominibus, omnibus Angelis, Matri tuæ, proprio sanguini, corpori, animæ, rebus omnibus procreatis, & nihil mihi effertur tam vile, abjectum, sordidum, abominandum, quin in illo oblato statim avertam à te vultum, obvertam tergo, te deseram, contemnam, & omnibus postponam, Fateor hoc feci, sed dimitte mihi; non enim scio, *Pf. 83. 11* quid fecit: at nunc ubi te novi, *Elegi abjectus esse in*
Pbil. 3. 8. *domo tua: omnia detrimenta feci, & arbitratus sum ut*
Sap. 7. 8. *stercora, ut te lucrifaciam. Præponam teregnis & sedibus, & divitias nihil esse ducam in comparatione tuis.*
 Denique eligo magis calcari tuis pedibus, quàm imperare omnibus Regibus.

§. V.

Postponitur Christus Barabba.

TAM fuerat in theatro propositus, & omnium oculis expositus, Christus spectaculum factus Iudæis, Gentibus, & omnibus, qui ad solennitatem convenerant, hominibus: fuerat & propositus ille, quem nemo non oderat, vel certe odisse debuerat, nisi bonorum osor, Barabbas. Quærebatur à Iudæis, uter illorum esset donandus vitæ, vel afficiendus morte. quis cui præponendus, vel postponendus. quis credat posse hominem de hac electione dubitare, aut diu deliberare? Tamen Iudæi, verè jam non tantum cæci, sed daces cæcorum, audita illa Pilati interrogatione, *Quem vultis vobis dimittam, Barabbam, an IESUM,* indignati Jesum vel conferri cum Barabba, sine longa deliberatione, tanquam rabidi præ invidiâ canes, exclamarunt. *Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam.*

O præ-

O præposterum, detestandum, probrosum
 Christo Judæorū Judicium! cum homine Deus,
 cum vermiculo omnium rerū Dominus, cum
 latrone Rex, cum reo Innocentia, cum seditioso
 Charitas, cum impio Pietas, cum perduelli Obedi-
 entia componitur: ô dedecus! & postponitur,
 ô opprobrium! ô horror! ô scelus! quid cogita-
 tis, qui hæc auditis? Miramini magis, an indi-
 gnamini? Convertite vestram in vosipsos & ad-
 mirationem, & indignationem: & quod admi-
 ramini factum semel à Judæis, invenietis fieri
 quotidie à vobis, & plerisque Christianis. O
 quam turpiter hallucinamur in illa scientia, quæ
 una est princeps scientiarum; scire reprobare
 malum, & eligere bonum! Dum proponuntur
 nobis aliqua vel eligenda, vel reprobanda: quid-
 quid ferè eligimus, est malum: quidquid repro-
 bamus, est bonum. Hinc tam pauci boni, tam
 multi mali: & quia erramus in hac electione,
 pauci sunt electi: quia præpostero judicio post-
 ponimus præponenda, præponimus postponen-
 da. Quis non magis deflet, amissum aurum,
 quam cælum? & tamen minor est comparatio
 inter aurum & cælum, quam inter aurum & cæ-
 num. Quis non malit pati jacturam divinæ gra-
 tiæ, quam pecuniæ? & tamen major est jactura
 minimæ gratiæ; quam omnium bonorum, quæ
 sunt fortunæ, vel naturæ. Quis non præfert mo-
 mentum æternitati? momentum voluptatis, æ-
 ternitati omnis felicitatis? & tamen cum unum
 sit finitum, alterum infinitum, inter illa nulla est
 proportio. Quis tanto labore studet acquirendis
 virtutibus, quanto acquirendis scientiis, & arti-
 bus? Quam multi præferunt siliquas porcorum
 pani Angelorum! Quis tantum facit pro sua sa-
 lute;

Cæcitas
 hominū
 in eligē-
 dis bo-
 nis, &
 repro-
 bandis
 malis.

lute, quantum pro honore? Pro salute, grave est vel adire templum; pro honore, leve est vel initiare duellum, ibique periculosa illa jacitur alea, an debeat quis superstes vivere, an in puncto ad inferna descendere. Sic agitur histeron, proteron, & corruptissimo iudicio præponimus minima maximis, vilissima pretiosissimis, humana divinis, terrena cœlestibus, temporalia æternis; donec postquam dormivimus somnum nostrum, ingressi jam domum æternitatis nihil inveniamus in manibus nostris: atque ita utrisque privemur bonis, ut nec retineamus bona terrena, nec possideamus cœlestia: sed & ista, & illa irreparabilis jacturam æternam amittamus. Siccine spurcam, fluxam, vilem, pœnitendam voluptatem præferimus æternæ voluptati? voluptatem, quam prius experimur amissam, quam sentiebamus admissam? quæ simul est & in ortu, & occasu? quæ eodem momento, quo incipit, desinit? quæ oritur, moritur? Quid hoc est, nisi exemplo Judæorum præponere Barabbam Christo? Sed nos detestati Judæos, prodemus nos Christianos, dum ereptum à Judæis honorem Christo, hodie hocce in templo restituemus. Loquar igitur ego unus, sed ore & voto omnium, Jesu potentissime, qui in cœlos, terras, inferos, Angelos, homines, dæmones, in omnes, & omnia, quæ sunt, fuerunt, erunt, esse possunt, immenso dominaris imperio, tanquam Rex regum, & Dominus dominantium: cujus regnum est regnum omnium sæculorum, *sub quo curvantur qui portant orbem*: sub cujus pedibus sternitur omnis altitudo in cœlo, magnitudo in terris; cujus vestigia lambunt potentissimi terrarum Domini, cujus imperio venerabundi sese submitunt omnes

Iob. 9. 13.

omnes, & purpurati Principes, & trabeati Proce-
res, & coronati Cæsares. Jesu, qui ut Deus ab-
sconditus sub figuris latitas, sed tanquam splen-
dor gloria Patris, & figura substantiæ eius, & ut sol il-
lustras, & ut ignis omnes inflammas. Credo, (&
his verbis promptus sum subscribere meo san-
guine) credo, te qui hîc lates sub figuris panis,
esse eundem qui sedes ad dexteram Patris. Ita-
que colo te cultu tibi uni proprio, latriæ; adoro
te eâdem reverentiâ, qua in regno gloriæ tuæ
novem Angelorum Chori: tu solus sanctus, tu
solus Dominus, tu solus Altissimus; ex quo om-
nia, per quem omnia, in quo omnia, Deus meus
& omnia.

Hebr. 13.

S. VI.

Petit populus dimitti Barabbam, Christum crucifigi.

Gemini in theatrum prodiere, ut modò spe-
xistis, prædones: unus pecuniarum, alter
animarum; unus spoliavit facultatibus homines,
alter expoliavit Principatus & Potestates: id
est, dæmones; unus ex patre diabolo, alter ex
Patre Deo, Barabbas, & Christus. Quid cum u-
troque fieri petierit Synagoga, audite. Hæc vox
est totius Synagogæ: Tolle hunc, & dimitte nobis
Barabbam.

Luc. 23.

19.

T. 2. Ser. 3

Acerbo Judæos laconismo perstrinxit divus

Chrysostomus: *Latrones petierunt latronem; Domi-*

num autem crucifixerunt. Hîc item contra cla-

mantentes Judæos exclamat D. Anselmus: *O iniquum*

judicium! Bonus despicitur, & malus præponitur; ju-

stus punitur, & peccator liberatur; agnus occiditur, &

lupus acceptatur; vita deseritur, & mors reservatur.

Etiâ hîc Christiani luculentè prodimus nos

esse Judæos, dum exemplo Judæorum eligimus

Barabbam, repudiamus Christum. Idem enim

Peccatū
est aver-
sio &
conver-
sio.

est peccatum committere, & Barabbam Christo præponere. Quid enim est peccatum? est quædā animæ aversio & conversio: aversio à Creatore, conversio ad creaturam. Ab eo se avertere, ad hanc se convertere, quid aliud est, quàm Christum Barabbæ postponere? O misera aversio, miserior conversio, miserrima animæ sic se avertentis, & convertentis, conditio! Peccatum est aversio, & conversio à quo ad quid; à Potentia ad fragilitatem, à Fortitudine ad fragilitatem, à Scientia ad ignorantiam, à Sapientia ad stultitiam, à Gloria ad ignominiam, à Majestate ad vilitatem, à Bonitate ad malitiam, à Justitia ad iniquitatem, à Misericordia ad miseras, à Pane ad famem, à Fonte ad sitim, ab Opulentia ad egestatem, à Plenitudine ad inanitatem, à toto ad nihilum, à summo Bono ad summum malum. O hominis cæcitas! ô in Deum impietas! ô execranda indignitas! ô nunquam satis punienda impietas! Quis non stupeat homuncionem vilissimam qui ex limo, quoad corpus, formatus; ex nihilo, quoad animam, creatus; ex se nihil est, nihil boni naturæ vel gratiæ habet, nihil potest, nihil scit, nihil vult facere, vel facit ex se absque peculiari Dei concursu & præsidio, exceptâ solâ peccati malitiâ, cujus ipse auctor est, præponere aut momentaneam aliquam voluptatulam, aut temporale lucellum, aut inanem gloriæ umbram, aut meram propriæ voluntatis libidinem, Deo summo, infinito, inestimabili Bono, dum elegit eum potius offendere, ejusque & amicitiam & gratiam excidere, quàm carere fucatâ illâ, futilique quam in rebus creatis aucupatur, voluptatibus. Planè par est iniquitas, eadem in Christum injuria, similis malitia, & quale flagitium, & Judæi præ-

Quot
Christo
fiant in
templo
injuriæ.

præponentis Christo Barabbam, & Christiani
 præponentis Creatori creaturam. Tanta est hu-
 jus rei indignitas, ut ipse deus evocet ad stuporē
 ipsos cœlos, & contra ingratitudinem hominis
 exoptulet his verbis: *Obstupescite cœli super hoc, & Jerem. 2.
 porta eius desolamini vehementer; duo enim mala fecit
 populus meus: me dereliquerunt fontem aqua viva (ec-
 ce hic aversio) & foderunt sibi cisternas dissipatas,
 qua continere non valent aquas (ecce conversio.)*
 Ecce hic Barabbam præpositum Christo. Hoc
 ipsum agis illo loco, ubi hoc agere minimè de-
 cet; nunquam oportet in domo Dei, in sacro de-
 lubro. Tunc Barabbam Christo præponis, dum
 sacra limina, & augustos postes, templum inquā,
 profanas impiis fabulis, sacrilegā immodestiā,
 impiā irreverentiā, lenocinantibus oculis; dum
 majorem exhibes honorem putido scorto, quā
 ipsi Christo. Hæc audes, & sine fronte, sine metu
 audes in domo Christi, in conspectu ejus, ipso
 spectante iudice, vindice, Numine tuo? Hujus-
 modi homines amarulentā Satyrā persequitur
 Salvianus, dum in hunc modum in eos vehe-
 mentissimè invehitur: *In templa, vel potius in ab- De Ge-
 taria, atque in sacraria Dei passim omnes sordidi ac ber. l. 9.
 flagitiosi, sine ulla penitus reverentia sacri honoris ir-
 rumpunt; non quia non omnes ad exorandum Deum
 currere debeant; sed quia qui ingreditur ad plorandum,
 non debet egredi ad exacerbandum. Neque enim ejus-
 dem officij est, indulgentiam postcere, & iracundiam
 provocare. Novum siquidem monstri genus est: eadem
 penè omnes jugiter faciunt, qua fecisse se plangunt. Et
 qui intrant ecclesiasticam domum, ut mala antiqua de-
 steant, exeunt, & quid dico exeunt? in ipsis penè hoc o-
 rationibus suis ac supplicationibus moliantur. Aliud
 quippe ora hominum, aliud corda agunt: & dum verba*

præterita plangunt, sensu futura meditantur: & sic ratio eorum rixa magis est criminum, quam exoratrix. O JESU, ut video, magna est velut mare contritio tua. Judæi electo Barabbâ te repudiant, Ethnici te non agnoscunt, Hæretici in te non credunt, Catholici multi te spernunt, omnes te contemnunt. Siccine solvitur Barabbas, vincitur Jesus? Barabbas liber, Jesus captivus? vivit Barabbas, Jesus moritur? *Obstupesce cæli super hoc!*

§. VII.

Pilati ad populum interrogatio.

Pilatus alterno veluti æstu omnem in partem fluctuabat, incertus cui vento vela daret: volebat Christum dimittere, sed nolebat Christi inimicos offendere: incertus ergo quid lubeat, vel liceat, cum rabidi Judæi postulârent dimitti Barabbam,

Matth.
27.22.

Dixit illis Pilatus: *quid igitur faciam de Iesu?* Hæc enim verò exotica est quæstio, & peregrina interrogatio: *Quid faciam de Iesu?* Ad cône res vilis & abjecta est JESUS, ut quasi ad omnia foret inutilis, nesciatur quid oporteat facere de Iesu? Hoc peti solet de putido aliquo cadavere, de cane mortuo, de putrido pomo, de cava nuce, de re nauci, flocci, nihili: *Quid faciam de hac re?* Tam vilis erat in oculis synagogæ sponsus Ecclesiæ. Audiamus ad hanc interrogationem Judæorum responsum: *Quid faciam de Iesu, ô Judæi?* Tolle, tolle, intoxicat aërem suo spiritu; conspurcat terram suis pedibus; infatuat homines suis verbis; indignus est qui sit in rerum natura. *Quid faciam de Iesu, ô Pharisei?* Tolle, si possit reduratur in nihilum, homo nihili. *Quid faciam de Iesu, ô Scribe?* Tolle, ad nihil valet ultra, nisi ut mitte-

Matth. 5.

rur foras, & conculcetur ab hominibus; nisi ut mittatur
 in montem Calvaria, & crucifigatur à tortori-
 bus. *Quid faciã de Iesu, ô Principes Sacerdotum?*
Suspendatur ad collum eius mola asinaria, & demerga- Matt. 18.
tur in profundum maris. Quid faciam de Iesu, ô Syna- 6.
goga? Ligatis manibus ac pedibus eius, projicite eum Matt. 22.
in tenebras exteriores: dirumpatur terra sub pedibus 13.
eius, & aperiens os suum devoret eum, & descendat vi- Num. 16,
vus in infernum: eat maledictus in igne æternum. 3.
 Siccine ingrata, barbara, perfida, impia Synago-
 ga repudias sponsum tuum, electum è millibus,
 & eligis tibi sponsum homicidam eductum è
 sordibus? I, dabitur tibi Deicida, homicida; da-
 bitur tibi Barabbas, sed tolletur tibi omnis feli-
 citas, nec remittetur tibi in æternum hæc iniqui-
 tas. Venit hora, ô Iesu, & nunc est, ut deseras Sy-
 nagogam, & transeas ad Ecclesiam; ut relin-
 quas Judæos, & convertaris ad Gentiles. Accipite
 vos Barabbam, & tradite nobis Jesum. Nobis e-
 nim natus, nobis datus est. Illi enim dictum est à
 Patre: *Ecce, dedi te in lucẽ Gentium. Dic ergo nunc* Isa. 49. 6
 Iesu, quod Judæis olim dicturus est Apostolus
 Gentium: *Ecce, convertimur ad Gentes: Tu ergo* Hebr. 13.
 surge nunc, & illuminare Ecclesia nova sponsa,
 46.
 jam dedit Synagoga libellũ repudii sponso suo;
 ecce venit sponsus tuus, exi obviam ei. Sed prius
 Ecclesia
 petit Pater ejus: *Quid facies de Iesu Filio meo, quantũ*
 sponso tuo? *Quid faciam?* pete prius quid non
 Christũ
 faciam? *Audiat impia Synagoga, & ringatur præ* honoret
 invidia. *Statim ubi intelligam illum venire, & æsti-*
 met præ
 exuam me vestimento viduitatis meæ, & induam
 me vestimento lætitiæ, & vadam in occursum ejus, Synago-
 ga.
 & procidens adorabo eum, & dicam: *Osculetur*
 me osculo oris sui. *Tunc magnificabit anima* Iud. 16. 9
 mea Dominum, & exultabit spiritus meus Cant. 1. 4.

Philip. 2.
10.

in Jesu Deo meo. Mox evocabo ex Oriente Reges, & jubebo ut offerant ei aurum, thus, & myrrham. Imò faciam, ut omnes Reges terræ adorent eum, & omnes Gentes serviant ei. Mittam deinde vocalissimum præconem per totam rerum universitatem, ad cælos, terras, inferos, qui altissimâ, ut ab omnibus audiri possit, voce, nomine meo præcipiat: *In nomine Iesu omne genu flexatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omni lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Tum emittam per omnes omnium terrarum regiones, duodecim Evangelicæ doctrinæ buccinatores, ut prædicent Evangelium Jesu omni creaturæ, ac inter illos destinabo ad ultima terrarum Paulum, ut portet nomen Jesu coram Gentibus, & Regibus, & filiis Israël: ut ubique prædicet Jesum, quoniam hic est Filius Dei; & instar tubæ exaltet vocem suam, & late resonanti clangore, annuntiet omnibus illa ipsa quæ ad Corinthios scripsit verba: *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema.*

22.
Matt. 19.
29.
Hebr. 12.
37.

Plurimi ex meis propter Jesum relinquent domum, & fratres, & sorores, & patrem, & matrem, & uxorem, & filios, & agros: alii circuibunt in melioribus, & in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & cavernis terræ, propter Jesum; alii ludibria & verbera experientur, lapidabuntur, secabuntur, tentabuntur, in occisione gladii morientur propter Jesum. Ego, & mei, exactè observabimus leges Jesu: sequemur consilia Jesu, audiemus monita Jesu. Quidquid potest honoris deferri, quidquid gloriæ fingi, quidquid amoris exhiberi, deferretur & exhibebitur à nobis Jesu. Et post omnia honoris, amoris, cultûs obsequia, post omnia

Fidei

Fidei, Spei, Charitatis exercitia, post omnia cuiuscunque generis officia, prosternemus nos ad ejus pedes, & fatebimur unanimi voce: *Servi inutilis sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Hæc & infinities plura propter Jesum facere nos, & pro salute decet, & pro æquitate oportet. Ecce hîc Jesum, ad Ecclesiã repudiatã Synagogã, ad nos, spretis Judæis, transiit. Quid interim facis, quid fecisti, quid facies de Jesu, pro Jesu? Quid facies de Jesu, ô avarè? Tribus obolis illum vendam. Quid facies de Jesu, ô maledictè detrahor? Expuam in faciem ejus. Quid facies de Jesu, iracunde? Colaphis eum cædam. Quid tu politice? Velabo faciem ejus. Et tu impudice? Flagellabo eum à planta pedis usque ad verticem capitis. Et tu superbe? Plectens coronam de spinis, ponam super caput ejus. Et tu ambitiose? Ponam in dextera ejus arundinẽ. Quid tu ebriose? Felle & aceto potabo illum. Denique tu quisquis es peccator, quid facies de Jesu? Rursum illum crucifigam. Hæc non sunt verba mea, sed acta nostra. Quis nostrum tanti est roboris, qui percussus alapã præbeat alteram maxillam percutiendam amore Jesu, quia ipse hoc consulit? Estne aliquis tantæ magnanimitatis, ab inimico laceffitus convitiis, contumeliis, maledictis, qui non aperiat os suum, sed cum silentio perferat propter Jesum? Estne aliquis tanti in Jesum amoris, qui pellectus à dyscolis sociis, ut violet leges Jesu audeat mascula voce dicere cum sene illo inter Machabæos heroe Eleazaro, *præmitti se velle in infernum potius, quàm offendere Jesum?* Estne aliquis tanti animi, ut lenocinante carne, & ad peccatum invitante, ex amore Jesu audeat dicere cum D. Anselmo: *Malo infilire in rogam ar-*

Luc. 17.
10.

Peccatores
varii variis modis Christi cruciant,

2. Mach.
6. 23.

dentissimum, quam peccatum ullum admittere sciens in Deum meum? Quid ergo facis, quid facies propter Jesum? Si à me petas, ô Pater æterne, quid faciam de Jesu? scio quid faciam: Accipiam eum in ulnas meas cum Simeone: procidens adorabo eum cum Magis: lachrymis meis rigabo pedes ejus, cum illa peccatrice: adferam alabastrum unguenti pretiosi, & effundam super caput ejus, cum Magdalena: dum recumbet mensæ, ministrabo illi cum Martha: denique post mille & mille obsequia, in manus ejus commendabo spiritum meum, & expirabo. Hæc omnia ut cupiam, & faciam, est libertatis meæ, & potestatis tuæ, tibi enim à Patre data est omnis potestas, Interim faciam, quantum valeo, cum non possim, quantum debeo. Opto igitur, quia hoc possum, tantum te amare, quantum vel amârunt, vel amant, vel amabunt totâ æternitate, omnes tui amantes; & quia credo in te, & omnia possible sunt credenti; quia etiam spero in te qui fuisti spes mea ab uberibus matris meæ; ideo credo & spero me amaturum te, quamdiu tu eris, ô Amor æterne, & hoc æternum.

S. VIII.

Christus à Judæis poscitur ad crucem.

PETIERAT à barbara turba iniquus Judex, quid faciam de Jesu, cum ecce latrantes canes, ululantes lupi, rugientes leones, mugientes tauri pingues, quem non poterant impetere cornibus, discerpere dentibus, laniare manibus, fatigare necare vocibus, cum unâ omnes voce conspirant, & exclamant: Tolle, tolle, crucifige eum. Ait illis Præses: Quid enim mali fecit? nullam causam mortis inuenio in eo. Corripiam ergo eum, & dimittam.

Matt. 27

Matt. 15.

At illi instabant vocibus magnis postulantes, ut crucifigeretur. Ioan. 19.

Erat hic Christus sublimi in loco velut scopus expositus, in quem tota Judæa odii jacula contorquerent. Judæorum corda erant velut intenti arcus; illa verba, *Tolle, crucifige*, erant tela, quæ in cor amabilis Jesu coniecta, plus illum fœdicabant & sauciabant, quàm omnia quæ postea accepit in toto corpore flagella. Nemo erat è tota illa turba, qui non, si potuisset, illum discerpisset manibus, dilacerasset dentibus, concussisset pedibus. Videbat illic fors præsentis aliquos ex quatuor millibus, quos in deserto satiaverat panibus; ex illis, quibus toties fuerat locutus verba vitæ æternæ; ex illis, quos sanaverat à variis languoribus. Occurrebat se inter Judæos conceptum, natum, nutritum, tot annis conversatum. Quidquid habuerat sudoris, quidquid lacrymarum jam effuderat, quidquid habebat sanguinis, erat paulò post effusus super Jerusalem. Jam videbat venisse tempus, quo implebantur illa verba, quæ & ipse tacitè secum repetebat: *Filios enutrivì, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me.* O quàm acriter feriebat cor Christi ille contemptus, cùm præposito Barabbâ latrone interrogabat Præses populum: *Quid igitur faciam de Iesu?* & audiret inferius è plano, superius è fenestris, ad dextram & sinistram, quanto poterant maximo clamore, & stentoreâ voce vociferantes: *Tolle, tolle, crucifige.* O Jerusalem! quid potui tibi facere, & non feci? Esuriebas, & dedi tibi manducare; sitiebas, & dedi tibi bibere; hospes eras, & collegi te; nudus, & cooperui te; infirmus, & visitavi te; in carcere, & veni ad te.

Cu:

Custodivi te ut pupillam oculi mei; feci te excel-
sorem omnibus gentibus & regibus terræ. At
illi excæcati invidiâ, inflammati iracundiâ, exa-
cerbati odio, postulabant eum crucifigi. O Pa-
tris æterni amor, factus es mundi totius odium!
ô gaudium Angelorum, factus es opprobrium
hominum! ô Rex cœli, factus es vermis terræ!
Pepercerat olim Saülis vitæ, cùm potuisset eum
tollere David, & sustulerat tantùm scyphum &
lanceâ: ac mox ex alto montis vertice excitabat
vigiles, & exprobrabat illorum socordiam in cu-
stodiendo Rege. Tunc excitatus Saul, & miratus

1. Reg. 26
17.

tantum hostis sui in se amorem, *cognovit vocem
David, & dixit: Nunquid vox hac tua fili mi? Vox mea
Domine mi Rex*, respondit David. Variæ quidem
in hac tam referta hominum turba voces audie-
bantur: Tolle, crucifige; sed tamen Jesus cog-
noscit cujusque vocem: quare miratus & te cum
Judæis clamare: *Tolle, crucifige*, petit: *Nonne vox
hac tua fili mi? Vox mea, pater mi Jesu*. Ego cla-
mo ad justitiam Patris: *Parce*; tu clamas contra
me: *Tolle*. Ego clamo, Pater dimitte; tu clamas:
Pilate crucifige. Sed redeamus ad Pilatum, jam
verè Christi advocatû: poscentibus enim Chri-
stum ad crucem Judæis, ait: *Quid enim mali fecit?*

Math. 7.
37.

*Vestrum hoc fuit de eo testimonium: Bene omnia
fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui: imò &
cæcos videre, & claudos ambulare, & mortuos
resurgere. Frustra petis Pilate, quid mali fecit is,
qui solus est bonus. Vide cuncta quæ fecit, & in-
venies valde bona. Sed pete à me quid mali fece-
rint, qui retribuunt Deo mala pro bonis. Quod
majus malum, quàm sponte reprobare summû
bonum, & eligere summum malum? *Malum est &
amarum, reliquisse Dominum Deum suum: hoc ma-**

1. Reg. 2. 19.

lum

lum ego feci. Malum est comedisse de ligno scientiæ boni & mali; hoc malum ego feci. Denique ego sum inveteratus dierum malorum, qui toties malum coram te feci, ut ascenderit malitia mea coram te. Quid ergo mali non feci ego? Et tu quid mihi non fecisti boni, quid pro me non pertulisti mali, ut auferres mihi mala, & faceres me bonum? Potuisti me liberare ab omni malo levissimo cordis suspirio; noluisti nisi gravissimo mortis supplicio? Poteras mihi remittere peccata mea sedens in tuo solio; noluisti nisi penderes è crucis patibulo. Ipsa, quæ ego facio mala, vertis mihi in bonum. Quid ergo mihi malo non fecisti boni? Unum post omnia superest, ut te possideam omne bonum, & adhæreat anima mea post te, dicens: *Mihi autem adharere Deo, bonum est.*

*Psal. 72^o
28.*

§. IX.

Mittitur ad Herodem.

Pilatus iudex, qui volebat magis videri equivoquam esse, volens satisfacere populo, sic tamen, ut non malefaceret Christo, inter saxum & saxum, nunc hac, nunc illac partes animi divertat in omnes. Offendere Judæos, liberando Christum, videbatur illi grave, sed & condemnare innocentiam non erat leve: quare ut se extricaret ex his difficultatibus, statuit Christum mittere ad Herodem, qui illis diebus, utpote Paschalibus, erat Jerosolymæ. Nec hoc displicebat Judæis: spes enim hinc magna illis affulgebat crucifigendi Christi. Extorsuros se facilius sperabant omnes ab Herode, notæ crudelitatis homine, Christi necem, quam à Pilato æquius rectique observantiore. Erat hic Herodes inter-

fector

factor S. Joannis Baptistæ, filius Herodis infan-
 tici dæ. Nec hoc factum sine numine divinæ pro-
 videntia, ut tot essent Judices profani, quot sa-
 cri innocentia ejus testes: sacri duo, Annas &
Matt. 18. Caiphas; profani duo, Pilatus & Herodes, ut in
16. ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Cum
Luc. 23. Judæi accusantes Christum mentionem fecis-
7. sent de Galilæa, Pilatus audito hoc nomine, in-
 terrogavit si homo Galilæus esset: & ut cognovit quod
 de potestate Herodis esset, remisit eum ad Herodem.

Eò igitur adducitur Christus ligatus & stipa-
 tus satellitio publico. Deus immortalis, quàm
 variè fuit Christus per 24. horas, quibus passus
 est, agitatus! extrahitur ex horto, raptatur ad An-
 nam, protruditur ad Caipham, deducitur ad Pi-
 latum, ablegatur ad Herodem, condemnatur ad
 mortem, bajulat suam crucem, jacet sub cruce,
 conjicitur in crucem, suffigitur in cruce, pendet
 è cruce. Ubique cedit ignorantia Sipientia, sce-
 leri Religio, jus & fas injuria, Majestas ignomi-
 niæ. Et hæc omnia tolerat patienter ut agnus,
 cum solo nutu omnem creaturam demergere pos-
 set in profundum inferni. Sed ad quem mittitur
 Christus, quem Pater misit in mundum ut sal-
 varet mundum? Mittitur ad Herodem. Quis sit
 Herodes, pronum erit intelligere, si placet ocu-
 los convertere in ejus lineamenta, quæ D. Chry-
 sologus suis pigmentis ad vivum expressit: (quæ
 licet verius dicta sint de parente ejus, Herode
 Ascalonita; huic tamen, paucis mutatis, conve-
 niunt.) *Herodes est qui prophanavit templum, sacer-
 dotium sustulit; confudit ordinem; temeravit regnum;
 corruptit quidquid erat religionis, quod vitæ, quod legis,
 quod morum, quod fidei, quod disciplina, perdidit &
 confudit. Herodes sicarius in cives, in nobiles latro, po-*

**Herodis
 impietas**

pula.

pulator in socios, in domesticos prædo, interemptor plebis, occisor filiorum, homicida in extraneos, in proprios parricida. Ad talem Christus promptissimè vadit, inde redit, nusquam non it, & circuit, ut te ab illo liberet, qui tanquam leo rugiens circuit querens quem devorer: hoc est, quod asserit idem qui prius Chrysologus: Ille, cuius majestatem vox fidelium quotidiana testatur, clamans: Pleni sunt cæli & terra gloriâ tuâ, toties propter te circuit, apparet, videtur, & tenetur in locis, Quo se movet immobilis plenitudo? Qua accedit, vel unde recedit, quo sunt plena omnia? Et tamen vadit, redit, descendit, ascendit; & totum se, & propter te, homo, Deus patitur, quia te nimis diligit, nimis amat. Sic ipse. O quàm sapienter pronuntiavit de æterna Sapientia, hoc est Christo, Sapiens: Omnibus mobilibus mobilior est Sapientia. Quid Christo mobilius, qui nusquam quiescit, nusquam consistit, nusquam non, & nunquam non, se movet, ut nos, qui ut Caini fugimus à facie ejus, quiescamus in eo? O quanta nostra felicitas! quibus ut perveniamus ad eum, qui est Via, non opus est movere pedem, ut carpamus viam. Audi loquentem Paulum: Dominus prope est. Dominus meus, & Deus meus tu verè prope es: quia hîc nobiscum es; es enim Emanuel, nobiscum Deus. Prope es, non tantùm uno unius urbis in templo, sed in omnibus omnium urbium templis. Tu prope es in hoc templo, in hac ara, unde & nos vides, & me audis: tam prope ut videas non tantùm figuras corporum, sed scruteris renes & arcana cordium; tam prope, ut non tantùm audias loquentium verba, sed gementium suspiria. Verè prope, imò proximè; quia in te vivimus, movemur, & sumus. Quanta hæc mea est felicitas, quia tu, in quo habitat omnis plenitudo divini-

1. Petr. 4.

Ser. 170.

Sap. 7.

24.

Philip. 4.

4.

vinitatis, non tantum es prope me, sed intra me.
Tu qui es in me, & ego in te, da ut semper possi-
deam te.

CAPUT VI.

Christus in aula Herodis.

§. i.

Gaudium Herodis ob visum Christum.

TAndem post multa viarum diverticula, semita-
tarum ambages, callium anfractus, pervenit
is, qui est via & veritas, ad illum, qui errabat à via
veritatis, hoc est, Christus ad Herodem. Quid
illic actum, ita paucis complexus est D. Lucas:

Luc. 23.

Herodes autem viso Iesu gavisus est valde.

Istud non miror, quod Herodes viso Iesu ga-
vissus sit, & quidem gavisus valde. Quis non gau-

Tr. 2. 15.

deat presente eo, qui est gaudium universa terra?

Luc. 1. 44.

Adhuc latebat Præcursor Domini in utero, &

Gaudiū

præsentem Domino exultavit in gaudio infans in u-

summū

tero. Adhuc jacebat omnibus incognitus, Deus

Jesum.

ille absconditus in præsepio, & ecce mittuntur

Luc. 2. 11

cœlestes ex alto præcones, ut omnes ad gaudiū

Matth. 2.

erigant. Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod

10.

*erit omni populo. Tres illi qui venerant ex Ori-**ente Magi, visam tantum stellam, que ad eum ducebatur**gavisi sunt gaudio magno valde. Quis ergo miretur**si Herodes viso Iesu gavisus est valde? si quod est**gaudium in cœlo Patriarchis, Prophetis, Regi-**bus; si quod Apostolis, Martyribus, Confessor-**ibus, Virginibus; si quod est gaudiū Angelis Dei*

Apoc. 7. 9

*& omnibus Electis, qui sunt turba magna, quam**dinumerare nemo potest; illud est gaudium super om-**ni gaudium, videre Iesum. Spongia projecta**in medium oceani non tam est plena undique**aquas,*